



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. An, & quâ ratione prohibeatur quis testimonium ferre in propria
causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nem, aut datam pecuniam facile à paupere tali, aut vilis conditionis homine obtineri posse; & hinc in quocunque casu admittatur talis, omni tamen exceptione major non est, quamvis per torturam purgata sit falsæ depositionis, & lucri captandi causa suspicio; si tamen arbitrio Judicis, aut partis omnis suspicio fraudis etiam penes pauperem abesset, aut fides pauperis per alios plures testes idoneos iuaretur, posset etiam illius testimonium ut integræ fidei admitti, cum nec sola paupertas, nec sola vilis conditio personæ vitio illi verti debeat.

§. VIII.

*An, & quæ ratione prohibeatur
quis testimonium ferre in propria causa.*

Neminem in propria causa testem idoneum esse, communis & generalis regula docet, ob suspensionem scilicet sinceræ depositionis in propria causa propriam utilitatem spectante; & ob hanc causam neque ille testis idoneus videtur, qui similem causam in iudicio agit, propter quam in testem hic & nunc producit, nisi aut protestatio prævia de nullo proprio commodo querendo in tali testificatione eum idoneum faciat; vel agatur tantum de modico emolumento, vel non possit aliter haberi veritas, vel testetur talis tantum in causa suæ communitatis.

Sed nec in illa causa potest quis esse testis, quam ad iudicium ut Actor vel accusator detulit, ne probando talem suam actionem, aut accusationem in propria causa testis esse censeatur; & quamvis si processit per viam denuntiationis

charitativè, non tam ad puniendum, quam emendandum peccatum, possit in illa causa testis esse juxta *c. In omni 4. h. t.* Si Judex tamen judicialiter procedat, ad puniendum denuntiatum, ad deponendum, v. g. ab officio aut beneficio, tunc in criminibus gravibus, aliisque magni præjudicii causis non potest esse testis denunciator, quia in talibus casibus non est recedendum à communi juris regula, quod idem Accusator seu Actor & testis esse non possit, nisi qui publicæ auctoritatis ad denuntianda crimina ex officio suo sit deputatus (cui merito major fides haberi debet, quam alii cuiusque denuntiatori) aut agatur de peccato evitando, neque possint alii testes haberi.

Judex autem in ea causa, quæ coram ipso adhuc pendet, non potest in testem produci, ob nimiam pro causa tali in suum honorem decidenda affectionem; & si agatur apud alium Iudicem appellacionis v. g. de justitia, vel injustitia late à priore Iudice sententiæ, non potest produci in testem, ne in causa sua ob affectionem ad sententiam à se latam sit testis quodammodo, quamvis in priore casu, si necessitas sit, ne pereat jus partis, ob defectum probationum, peti possit à parte, quæ illius testimonio indiget, ut alius ipsi Iudex substituatur, & sic ipse in tali casu testari possit, prout colligitur etiam ex *c. Dilecto 40. h. t.* quin etiam ex *c. Cum Dilectus 32. de electis.* colligitur, quod testis esse possit Iudex in illis, quæ aliis, quam Iudicibus cognita esse non possunt, cum in aliis etiam casibus testes suspecti admittantur, ob necessitatem, seu inopiam probationis; & ex *Glossa communiter recepta in cit. c. Dilecto*

Et *V. recusatis h. t.* habetur, quod Ordinarium possit coram suo Vicario testimonium dicere in causa, quæ coram Vicario agitur, & ex potiore ratione potest etiam delegans coram delegato testimonium ferre, cum in neutro casu in causa coram se pendente, sed alteri delegata testimonium dicat.

§. IX.

De testimonio ferendo ab Advocato, vel Procuratore, Herede, vel Legatario, & aliis quibusdam.

Nequè Advocatus, neque Procurator in ea causa, in qua fuit Advocatus, vel Procurator, in testem admittendus est, uti habetur ex *can. Si testes 3. §. Patroni causa 4. q. 3. & ex c. Insuper. 6. h. t. junctâ Glossâ.* In calu (propter præsumptam scilicet affectionem ad hanc causam) etiam finito officio, aut si velit deponere, aut deposuerit officium Advocati aut Pronuntiatoris in tali causa, in secunda v. g. instantia, sive in judicio appellationis, uti habetur ex *c. Romana 3. h. t. in 6.* nisi contra eum produceretur in testem, cui in prima instantia favit, cum esset in tali casu ratio affectûs ad causam, prout etiam non habetur, si nondum cœpit agere in judicio, aut si pro illo quidem, cujus Advocatus v. g. in una causa fuit, in alia tamen causa in testem produciatur. Et cum allata ratio etiam probet contra Curatorem, vel Tutorem in causa pupilli sui, aut minoris, contra Administratorem, Syndicum, & Actorem in causis cœptorum negotiorum ab illis ageendorum, &c. consequenter etiam

de his intelligi debet, quod dictum de Advocatis & Procuratoribus.

Mediator verò, sive ille, qui inter contrahentes v. g. conciliator, & mediator quasi fuit, non potest ordinariè in negotio, cujus mediator fuit, testis esse, rationem sæpius jam allatam, si tamen utraque pars sive litigantes consentirent in eum, ut testem, in tali negotio potest invitatus etiam compelli, ut sic testis, *per Glossam receptam in c. 1. V. Censuræ in 6.* vel si favor matrimonii ab eadem ficatione pendeat, aut admittatur, non probandam validitatem contractûs, & tantùm ad probandam circumstantiam aliquam, vel ad infirmandum contractum, cum ratio affectûs in talibus casibus patet, vel nihil probet.

De Herede aut Legatario quod dicendum sit ratione testamenti, in quo Heres vel Legatarius scriptus est, *per Lib. 3. De Testamentis* dicitur, et quod loco etiam patebit, quod in judicio pro valore testamenti asserendo non admittatur in testem Heres, aut Fideicommissarius universalis, admittatur autem Legatarius, seu Fideicommissarius particularis.

De venditore res certa est, quod emptore in causa rei venditæ testis esse non possit, quia restatur ut sic in proprium interesse, cum evidè re venditæ talis venditor ad pretii, & damnationis quæ patitur emptor, restitutionem. Donans verò pro donatario, & in favore donatarii testis esse non potest in causa donatæ, ob affectum, quem habet ad stabilitatem donationis, sed nec fideiussor testis esse potest in causa, in qua fideiussit, contra creditorem debitorem.